

I. N. J.  
 Sincharmata votiva  
 Onomasteriis  
 VIRI  
 Præcellentis atque Amplissimi,  
 DOMINI  
**M. TOBIÆ LIEBII,**  
 Rectoris in Gymnasio Freibergensi  
 meritissimi  
 Iplis Junii Idibus Anni post salutem  
 natam  
 M DC XCIV.  
 Feliciter reversis  
 sincera mente manuque ferunt  
 Superiores Collegæ & Discipuli.

FREIBERGÆ,  
 Literis Beckerianis.



Ad  
Dn. Collegam & Compatrem Honora-  
tissimum.

**E**cce! dies Tuus hic fausto *Tibi* fidere lu-  
cet.  
Quid faciam quæso? quæ *Tibi* vota  
feram?

Nempè hæc trita: diu *vivas, valeas, vigeasq̄,*  
Mente alacri, vegeto corpore, sorte bona!  
Sint hæc trita licet, licet & vulgaria vota,  
Nil vulgare tamen vota ea trita volunt.

ἀκισθῆλως scr.  
Christian *Sritzsche*/ Con-Rect.

**U**m subit *Ensfieri* defuncti tristis imago,  
Qui fuerat multis multò dignissimus annis,  
Nostra quidem lacrymis effusis ora rigan-  
tur:

Ast dolor haud adeò vocem jam strangulat o-  
mnem,

Finibus in nostris fileant ut gaudia prorsus.  
Namq̄ve interpellant planctus nova gaudia no-  
stros,

Et *Sol Saxonicum* lætis jam respicit orbem.  
Auspiciis; ideò resonat clamoribus æther:  
Vivat! io! Princeps, peragat feliciter ævum!

Quin & privatae licet indulgere modestè  
Lætitiæ, qualem quævis occasio præbet.  
Hinc tot læta fluunt, hoc quamvis æthere tristi,  
Vota, scholæ & nostræ Rectori quæq̄ve pre-  
cantur

Prospera, Doctores reliqui, Musisq̄ve sacrati.  
Quævis immistus ego, & complexus plurima pau-  
cis,

Omne felici vetus id feliciter! addo.

Israël *Beyer*/ Coll. Tert.  
Exori-



**E**Xoritur rursus felici sidere Festum,  
 Quod toties nostros exhilaravit agros.  
**E**Xoritur: redit ecce dies meliore lapillo  
 Signanda, & quæ nos exhilarare potest.  
 Exoritur lux alma, & quâ non dulcior ulla,  
 Quisquis ades sanctâ concipe voce preces.  
 Cingantur variis jam pulpita docta Lycæi  
 Floribus, & careat nullus odore locus.  
 Cingantur violis nostri Musæa Magistri,  
 Mensaq; odoriferis stet redimita rosis.  
 Adspiret nardus, Narcissus spiret amœnus,  
 Spiret odorati quicquid Eous habet.  
 Fundat inexhaustos suaves niger Indus odores,  
 Et fluat Assyrio sparsa liqvore coma!  
 Nuntiet hæc tibi Lux, Præceptor, prospera quæq;  
 Hæc Tibi festa dies, sit quoque fausta dies!  
 Quam precor ut celebres per longos floridus an-  
 nos,  
 Sint procul hinc morbi, sit procul omne malum!  
 Sospes & incolumis dulci cum Compare vivas,  
 Sit soboles felix, sit benedicta domus!  
 Sincero ex animo quæcunq; precantur Amici,  
 Eveniant votis uberiora magis!  
 Depluat è cælo plenum benedictio nimbum,  
 Ut possis spartam condecorare diu!  
 Maximus ille DEus, totum qui temperat Orbem  
 Rector, & occulto numine cuncta movet,  
 Te salvum præstet porrò per tempora longa,  
 Ut videas felix hunc remeare diem!  
 Sic præsis, profisq; gregi scholico benè multo  
 Tempore, sic olim præmia grata feres!  
 Sollicitæ quot apes favem populantur Hymet-  
 tum,  
 Florigeri quando tempora Veris eunt:  
 Pennigeri densis sub ramis quotq; volucres  
 Indocili tenuant gutture dulce melos:  
 Quam.



Quàm multæ gracili terrena sub horrea ferre  
 Limite, formicæ, grana reperta solent :  
 Faulsa tot eveniant Tibi, præclarissime Rector,  
 Totq; Tibi semper gaudia blanda fluant !  
 Ipse Tuis cœptis adspiret Summus JOVA,  
 Nestoris ut possis vivere fata senis.  
 Adspiret votis Paracletus, Spiritus almus,  
 Qui solus sanctus pectora sancta facit.  
 Dotibus egregiis tua pectora compleat ille,  
 Perpetua ille sua viscera lege regat !  
 Opta hunc magis, ac quas Lydius amnis arenas,  
 Quas volvit flavi lymphæ superba Tagi,  
 Et magis uberibus quicquid sibi colligit arvis  
 Medus, & asiduo Sole perustus Arabs.  
 Vicinis utinam tandem discedat ab oris  
 Gallus, & indecori victus oberret eqvo,  
 Victus Teutonicas cogatur linquere terras,  
 Et plangat nostram sanguinolentus humum.  
 Pax redeat, redeat pax optima, candida rerum,  
 Impia sanguinei bella perosa DEI.  
 Pace quid utilius ? quid Marte nocentius Orbi ?  
 Hic perdit Mulas, illa perire vetat.  
 Stultitia exoptat bellum, sapientia pacem,  
 Hæc nunquam quicquam dulcius orbis habet.  
 Afferat *Electo*r novus aurea secula nobis,  
 Afferat his tandem gaudia mille plagis !  
 Vestiat arva Ceres, hortos Pomona venustet,  
 Prata Pales, udam ros riget uber humum.  
 Neu rapidos nimium Titan superingerat æstus,  
 Neu noceant hyemis frigora, neve nives.  
 Transeat atra fames, redeant post tempora dura,  
 Tempora quæ cunctos exhilarare queant.  
 Sic Phœbum & Musas Duce Te coluisse juvabit,  
 Sic benè erit nobis, sic rata nostra salus.

Cum condiscipulis vovet  
 D. A. Müller / G. M.





I. N.  
 Sincharmata  
 Onomast  
 VIR  
 Præcellentis atq  
 DOMI  
**M. TOBLIA**  
 Rectoris in Gymna  
 meritiss  
 Iplis Junii Idibus An  
 natam  
 M DC  
 Feliciter r  
 sincera mente ma  
 Superiores Colleg  
 FREIBER  
 Literis Beck

